C

DE SIDERITIDE PRIMA.

CAP. CCXCIIII.

NOMINA.

Chamæpitys adulterina.

ΣΙΔΗΡΙΤΙΣ Græcis, Sideritis prima Latinis dicitur. Magna officinarũ pars hac herba pro Chamæpity uera utitur, non ſine errore, cum ſatis ex forma illius conſtet, ut paulò pòſt monſtrabimus, non eſſe Chamæpityn. Germanis Gliderkraut appellatur. Sideritis uerò nominata, quod glutinandis uulneribus apta, præcipuum in bello habeat uſum.

Sideritis cur dicta.

FORMA.

Herba eſt folia Marrubio ſimilia habens, longiora tamen, ad ſaluiæ aut quercus figuram accedentia, uerum minora & aſpera. Caules fundit quadratos, dodrantales, aut longiores, guſtu non iniucundos, aliquo modo adſtringentes, in quibus per interualla uelut in Marrubio uerticilli in orbem circumacti, & in his ſemen nigrum. Ex qua quidem deliniatione ſole clarius cõſtat, herbam cuius hic picturam exhibemus, eſſe Sideritin primam. Siquidẽ folia Marrubij habet, ſed longiora, ad ſaluiæ ſimilitudinem aſpera & rugoſa, minora tamen. Caulem quadratum & hirſutum, non iniucundi guſtus, aliquantum ſubadſtringentis, quem per interualla uerticillati orbes coronant, ut in Marrubio uidere licet, in quibus flores ſubcandidi ac lutei, & ſubinde ſemen nigrum. Radicem exiguam & ſubluteam, quod ſilentio tranſiuit Dioſcorides. Non eſſe uerò hanc herbam luam arthriticam, nec Chamæpityos generibus poſſe annumerari, hinc conijcere licebit: primũ, quod non ſit pumila, ſed in altum ſurgat, fruticis uerius quàm herbæ ſpecie. Quod uerò neque primum neq; ſecundũ genus Chamæpityos dici queat, hinc manifeſtũ fit, quod utrunque foliis Semperuiui minoris ſit, à quibus ſaluiæ, qualia hæc habet, diuerſiſsima ſunt. Neq; etiam tertium, quia folia eius non ſunt exilia.

Sideritis prima.

Sideritis non eſt lua arthritica.

D

LOCVS.

Naſcitur aſperis, petroſis & incultis locis.

TEMPVS.

Iunio menſe florere incipit, nec deſinit niſi in Autumni fine.

TEMPERAMENTVM.

Sideritis habet quandam abſtergendi facultatẽ, id quod amaritudo eius ſatis indicat: & pauculam adſtrictionem. Plurima tamen eius pars humida eſt, & mediocriter frigida.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Folia eius illita uulnera glutinare, & inflammationẽ arcere poſſunt.

EX GALENO.

Phlegmonem ſedat, & glutinandi uim obtinet.

EX PLINIO.

Sideritis tantam uim habet, ut quamuis recenti gladiatoris uulneri illigata, ſanguinem claudat.



SORGI